Dissertatio inauguralis medico-practica tractans ischiadem nervosam Cotunni / [Joannes Baptista Utzmann].

Contributors

Utzmann, Joannes Baptista.
Universität Wien.

Publication/Creation

Vindobonae : Typis L. Grund, [1834?]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/memxbcqd

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Dubl. coll. ad V/XVIII/1,5

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO PRACTICA

TRACTANS

ISCHIADEM NERVOSAM COTUNNII.

881.6

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN

CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Joannes Bapt. Utzmann,

Illyricus Tomajensis,

Medicus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die 22. Mensis Januarii anni MDCCCXXXIV.

VINDOBONAE.

TYPIS LEOPOLDI GRUND.

(Währingergasse Nr. 275.)

K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek

Standort			Katalog		
	Zimmer			Abth.	
	Kasten			Gruppe	
	L. Nr.			Nr.	

QUIBUSCUNQUE

ULLUM DEBET OFFICIUM.

K. u. k. Hof- u. Staatsbibliothek

QUIBUSCUNQUE

ULLUM DEBET OFFICIUM.

PRAEFATIO.

Quamquam audacter susceptus videatur, juvenisque medici viribus inconveniens labor, morbum sibi describendum proponere, et in arte heroum conaminibus non raro illudentem, et perspectu admodum difficilem: eo lubentius tamen ad eundem exarandum mentem adpuli, quo magis operae pretium est, ardua moliri saltem, ni assequi contingat. Ischias nervosa Cotunnii, quam aliquoties mihi in clinico, diverso cum successu tractatam observandi occasio fuit facta, omnem

sibi attentionem meam vindicavit, ut, quae morbi natura sit, quae pertinacitatis causa, quae tandem remedia, et quo potissimum tempore proficua censenda sint, eruerem. Versavi etiam et perscrutatus sum, quae circa materiam scripta inveni; quae tamen nec multa fuisse doleo, nec, paucis exceptis, satis clara et congrua. Nedum enim proprium huic morbo locum in nosologia speciali concedere plerique auctorum volunt, sed nunc rheumatismo, nunc arthritidi, nunc plane morbis articulationum subjungunt. Hujusmodi autem intuendi ratione omnis ulterioribus scrutiniis intercluditur via, quoniam quisque rem se abunde claram coram habere opinatur, nec ergo de instituenda therapia esse haesitandum. Ast longe alia aegrorum lecti offerunt, quantopere adhucdum in ob-

scuris versemur, edocentes. Mea quomodo facultas et assiduitas voluntati accesserit, aliorum benigno judicio submitto, hoc solum monens, nonnisi aliunde jam nota memet collegisse. Ratum tamen fore reique conveniens autumavi, morbum in duo stadia subdividere, quorum primum inflammatorio-, aut potius irritativo-nervosum, alterum vero nervoso-vegetativum nuncupare placuit, pro systematibus praecipue insimul vexatis; cujus quidem facti ideo veniam exposco, quoniam duplicem non modo imaginem morbus observationi offert, verum etiam in therapia differentia haec valdopere respicienda est. Stadium autem secundum nullatenus morbis sic dictis posthumis deberi, exinde liquet, quoniam hic necessarius est, et constans morbi decursus.

In exponendis singulis illum potissimum secutus sum ordinem, qui a magistro meo aestimatissimo, clariss. J. R. Bischoff observari solet.

Suscipe, quaeso, quae debilis offero, quaeque peccaverim, dele!

Definitio.

Sub ischiadis nervosae, seu neuralgiae ischiadicae nomine comprehendo passionem apyreticam nervorum, extremitatibus inferioribus prospicientium, doloribus insignem.

Omnium frequentissime quum nervus ischiadicus captus adinveniatur, per eminentiam morbo nomen impertivit; primus autem qui accurate distinxit atque descripsit, Cotunnius, gratae insimul posteritati commemorandus.

Ischiadem posticam, sive neuralgiam femoropopliteam ab antica, sive femoro-tibiali discernunt.

Sectio prima.

Forma morbi.

Morbum, quo luculentius ipse menti proponatur et phantasiae, in duo abire stadia jussi, alterum inflammatorio nervosum, alterum nervoso-vegetativum; innixus simul indoli morbi (ut infra traditurus sum), et therapiae instituendae.

Stadium primum.

Derepente utplurimum, sive causa quaedam occasionalis manifeste praecesserit, sive secus,

dolores lacerantes, terebrantes, aut pungentes, aut qualitatis accuratius vix determinandae, unum alterumve occupant femur; incertae fere primum sedis, mox tamen in distincta quadam extensione collocati, qui vix ac ne vix quidem remittentes, tanta interdum vehementia, nocturno praesertim tempore saeviunt, ut somnum plane dissipent, motumque omnem prohibeant. Quodsi nervus ischiadicus luget, aut a quarta quintave vertebra lumbali, aut intra trochanterem majorem atque inter tuber ossis ischii ordiuntur, unde in fossam popliteam descendentes, mox infra capitulum fibulae et postea ad maleolum externum quam maxime persentiuntur, in pede tandem terminandi. Patet exinde, malum illos potissimum ramos nervorum sequi, quorum maxime superficialis est decursus: cutaneum posteriorem cruris, qui ex nervo tibiali oriundus, et in externa surae facie descendens, fascia crurali ad maleolum externum perforata, terminum tandem externo latere dorsali digiti minimi invenit; et ramum superficialem nervi peronei, qui sola tectus fascia, eandem ad ligamentum transversum permeat, et in duos discedens ramulos, alterum dorso digiti primi, secundi et tertii mittit, dum alter, nervo supra descripto junctus, digito quarto, simulque lateri tibiali digiti quinti prospicit *).

---

*) Dr. Anton Römer's Handbuch der Anatomie des menschlichen Körpers. Bd. 2. S. 186 bis 188.

Celeberr. *Chaussier* propriam insuper speciem commemorat, plantarem, quae in nervo plantari interno residet *).

Designatas modo vias digitis investigare licet; ipseque aegrotus, quis ramulus patiatur, non raro adeo accurate designat, ut nervorum plane decursum ex eo addiscere liceat. Est etiam, ubi utraque mali species simul miserum plectit, quas alternantes ipse observavi; est, ubi ex peripheria sursum dolores feruntur. Interdum exiguam partem occupant, alias omnem fere extremitatem; rarissime tandem utrumque latus laborat. Si quando tentatur incessus, curvato in affectum latus trunco, genuque simul flexo, circuli segmentum describitur; ipseque non raro eum in modum laboriose perficitur, ut anhelationem, nec non musculorum faciei distortionem comitem habeat. Rotatio aeque ac flexio dolores parum augent, qui autem multo vehementiores fiunt per extensionem; pariterque per incessum, etiamsi per se brevem, aegro tamen justo diutiorem. Membro ceteroquin patienti frigus potius, quam lectuli calor conducit. — Accedunt: motus febriles jam majoris, jam minoris intensitatis; vultus, dolorum testis; somnus (ut supra jam commemoravimus), parum concessus; cutis sicca aut madida; urina parum abludens a normali quoad adspectum, salium tamen fere expers; constringitur

*) F. C. Meißner's Encyclopädie. Bd. 9. S. 184.

praeterea saepe ac retinetur alvi officium, aut cum plurimo dolore perficitur*); pulsus statui irritativo febrili correspondens.

Quae modo depicta est, imago, sub morbi ulteriori decursu mutatur ita, ut paroxysmi distinctius sensim sensimque emergant, nocturnis semper dirioribus. Ipsi quoque dolores fiunt mitiores, et modo quasi derepente, modo autem, et quidem utplurimum post exactas lyses, aut plane crises intercisas, temporis tractu indeterminato, sanitatis reditus affulget; nisi perstante morbo et progrediente, secundum stadium intret, quod nervoso-vegetativum supra nuncupavimus.

Stadium secundum.

Postquam ad summum excitata est vita nervorum, irritatione diu perstante, atque scintillationibus toties refocillatis, consumta tandem languescit; atque, dum in priori stadio vasorum vitam et sanguinis qualicunque ratione exaltatam ex recensitis symptomatibus praesumere licuit, cujus in systemate nervoso potissimum reflexus patebat: sub hoc vicissim stadio languentem nervorum vim accusare fas erit, quod vegetationis opus omne relabatur. Ut itaque terminum quasi intermedium et consociantem in systemate nervoso conspiciam, cujus

---

*) *Caelii Aureliani* morb. chron. lib. V. c. 1.

in priori stadio suppressae vires veluti effectus ad causam; in secundo autem dejectae aut exhaustae veluti causa ad effectum se habent.

Jam nunc turgore vitali minuto, pallidum membrum et frigidiusculum contabescit, qui status aridura audit; dolores raro evigilant, aut fere silent, nihilominus tamen interdum insigni vehementia recrudescentes. Extremitas continuo curvata, aliquantulum simul brevior comparet, et abductionem nonnisi summa cum molestia et difficultate admittit; quae paralysi postremo succumbens, totius organismi vitam secum praecipitat. Morositas eximia, agrypnia, anorexia, functionum omnium, imprimis se-et excretionum perversitas, febricula hectica morti sternunt viam, aut miserrimam saltem nonnisi vitam aliquamdiu adhuc concedunt; in casu etiam optimo claudicatione perstitura. Plerumque catarrhus suffocativus derepente claudit scenam.

Sectio secunda.

Sectiones pathologicae.

In cadaverum sectione liquidum, nunc magis serosum, nunc plasticum magis et coagulabile infra neurilema toties inventum est, ut auctorum nonnulli hanc effusionem, tum copia nervum comprimente, tum acrimonia lacessente, qua primam morbi causam considerantes, in ipsam definitionem

susceperint *). Fatendum est tamen, accuratiorem atque multiplicem disquisitionem anatomico-pathologicam, ut neuralgiarum in genere, ita hujus quoque morbi, unde multa utique forent speranda, inter pia adhucdum vota pertinere.

Aliquoties varii generis tumores, indurationes, varices, scirrhi, vel in neurilematis superficie, vel in hoc ipso, vel denique in pulpa nervea cultro patefiebant; vagina cellulosa modo in distinctis locis, modo in tota sua externa, internave facie sanguine quasi injecta, opaca, dura, ossea; ipsa pulpa hic ibive deficiens, nodosa, obscure cinerea, livida, elasticitatis expers; totus nervus ubique marcidus, corrugatus, tabidus, aut vero mole varia auctus. Sunt denique casus, ubi ne minima quidem mutatio detegi potest. — Quin tamen ex his omnibus satis constet, causane an effectus mali metamorphoses supradictae in casu quodam speciali fuerint.

---

*) *H. Callisen* systema chirurgiae hodiernae etc. Vol. 1. p. 257 (edit IV).

Sectio tertia.

Discrimina similium morborum.

I^mo.

Ischias.	Coxarthrocace.
Dolor *ab initio* vehementissimus, subcontinuus, et nervorum tractum sequens, sub morbi decursu mitior evadens, et paroxysmis vexans, motu et calore lecti exasperandus.	Dolor ab initio deficiens, aut minimus, genu praesertim occupans, motum non adeo arcens, primum aliquando disparens, serius demum constans, et in femoris articulatione fixus, et continuo increscens.
Forma extremitatis parum mutatur, nisi quod sensim marcescat; siqua observetur abnormis brevitas, nec tanta est, nec prolongatio antecessit.	Stadia sequentia pathognomonicis symptomatibus quoad situm et formam extremitatis excellunt, atque ex ordine prolongationem brevitas excipit.
Mediae et provectioris aetatis subjecta plurimum laborant; feminae prae viris.	Individua potissimum juniora plectit et scrophulosa.

II^do. Psoitidem dolorum minus vehementium, interdum adeo exiguorum, ut vix animadvertantur, constantium tamen, si adsunt, sedes juxta exten-

sionem musculi psoae et quadrati lumborum; etiam flexio femoris dolorifica, et puris tandem collectio distinguunt.

III. Contusionem praegressa causa, tumor, et fors ecchymosis, morbique decursus docebunt.

IV. Lumbago rheumatica residet in apparatu ligamentoso ossis sacri, doloresque vagi, lecti calore non increscentes, juxta dorsum ad renes usque adscendunt, et nephritidis formam mentiuntur, deorsumve migrantes ad vesicam, ischuriam concitant.

V. Phlegmasia alba dolens puerperarum concomitantem dolorem ab initio in genu monstrat, serius in omni extremitate; accedunt perfecta fere immobilitas, et tumor albus, superiorem femoris partem obsidens.

Sectio quarta.

Indoles morbi.

In morbi naturam indagantibus magna maximi nominis auctorum dissensio occurrit. Imo, utrum ad pyrexias, (inflammationes, rheumatismum) an apyrexias numerandus sit, nedum inter se convenerunt.

Fr. Hoffmann, spasmum in ossibus ischii, inflammationis progeniem in causa habet.

Stahl spasmum congestionibus haemorrhoidalibus concitatum accusat.

Cotunnius et *Callisen* ex fluido acri, infra neurilema effuso derivant.

Berends, *Richter* aliique complures ischiadem una cum coxalgia tractantes, cujus subspeciem esse volunt, rheumatismo vel arthritidi affinem praedicant.

L. W. Sachs inflammationibus inserit, quas sensibiles vocat, in quibus videlicet nervorum praeceteris actio ad revindicandam et conservandam integritatem individualem fervet.

Symptomatum supra recensitorum seriem mente pervolventes, ordinemque, quo singula sese excipiunt; haud immemores eorum, quae necroscopia hucusque docuit, id saltem liquet: nervorum unum alterumve, ex plexu lumbali prodeuntium, irritamento vexari, et ideo praepediri, quominus munere suo, motu scilicet atque sensatione ad normam fungatur. Qualiscunque nunc stimulus, sive menti debeatur, sive potentiis externis, praesenti jamjam irritationi superaccedat, nonnisi noxae vices agens percipietur, morbumque exasperabit.

Pro causarum efficientium vi et natura, diversi quoque irritationis gradus in conspectum prodibunt, ita, ut inflammationis tandem nomen revera mereantur. Hinc dolorum vehementia, extensionis difficultas, caloris et pressionis recusatio. Serius ocius suppressa nervi vita ipsius non modo nutritionem, verum totius quoque extremitatis pervertit, retardat, tollit; quod tamen fere de solo nervo ischiadico valet, a quo quippe maximopere

totum regitur membrum. Tantae denique extensionis nervorum provincia labe notata non potest non reliquas quoque in morbum abripere; et primum quidem systema spinale, ut femur abducendi impossibilitas, motusque omnis languidus docent. Testantur idem in systemate ganglioso anorexia, dysphoria, secretionum turbae; in cerebrali tandem rerum oblivio, et morositas. Sub primo itaque stadio reactionis fervor utriusque systematis, nervorum nimirum et vasorum praevalet, ita tamen, ut priorum praedominetur; sub altero passio; luitque reproductio certaminis tristes sequelas.

Sectio quinta.

Aetiologia.

Dispositione in hunc morbum concipiendum praesertim excellunt: aetas senilis et media, quin tamen vel ipsi infantes immunes censendi sint; sexus sequior, contrarium tamen asserente celeberrimo *Sachs*; temperamentum sanguineum et cholericum; constitutio nervosa et atrabilaria; vitae ratio sedentaria, quam ob rem docti, sartores, sutores et s. p. morbo multum obnoxii deprehenduntur; item, jugi et immodico usui veneris dediti *).

Inter causas excitantes spectant: refrigerium, v. g. dum undis frigidis aestuans immergitur corpus,

---

*) *Caelii Aureliani* morb. chron. lib. V. c. 1.

vel terrena cubatio; humiditas, tum calori, tum frigori nupta; spirituosorum abusus; animi pathemata tam excitantia, quam deprimentia; hypochondria; laesio nervi sapheni sub venaesectione in pede instituta morbum produxisse visa est; tumores, compressione liberam expansionem limitantes, aut dynamice insuper lacessentes; ponderis levandi ex inferioribus conatio; haemorrhoidum fluxus retentus vel suppressus; exanthematum et impetiginum cita fuga, scabiei praesertim et herpetis; ulcerum praepropera sanatio, vulnerumque cicatrisatio; matricis passiones, quare non raro sub annis climactericis vetulas infestat; dyscrasiae tandem, praecipue rheumatica et arthritica, non praetervidendis ceteroquin scrophulosi et syphilide; metastases, e. g. lacteae.

Sectio sexta.

Terminationes.

1. In sanitatem, disparentibus pededentim paroxysmis, restitante tamen ad recidivos proclivitate. Interdum tamen crisibus sat manifestis morbus solvitur, quae vel per fluxum haemorrhoidalem, vel per urinas salibus onustas, vel, teste jam Hippocrate, per alvum contingunt.

2. In alios morbos: claudicationem, aridurам, hydropem, hypochondriam, tabem, morbos mentis.

3. In mortem vel per morbos posthumos, vel catarrho suffocativo.

Sectio septima.

Prognosis.

Collatis artis medicae viribus cum morbi clandestina saevitia, et sede sat cognita quidem, sed difficulter remediis patente: eo majorem metum medico injiciat oportet, quo minori periculo stipatum existimat aeger, et quo serius auxilium petiit; aut si fors exhibitum hucusque ob mancam vel perversam diagnosim ineptum fuerat. Cognito etiam morbo qnoad speciem, difficillima tamen adhucdum premimur causarum eruendarum necessitate, gradumque et stadium determinandi.

A quibus omnibus nonnisi manifestissimis quum justa therapia exspectari possit: non est, quod miremur, si toties imparem fuisse artem audiamus; praesertim quum parum natura sit praestitura. Nunquam tamen spes mittenda; quamquam, monente jam *Caelio Aureliano* *), „sunt difficiles curatione magis, qui plurimo tempore fuerint passione vexati, et multis atque variis accidentibus et signis affecti.“

---

*) In l. c.

Sectio octava.

Therapia.

Therapiam instituentibus sequentes obviam feruntur indicationes:

1. Ut causa efficiens tollatur, aut saltem, ne ultro agere possit, efficiatur.

2. Ut causa morbi proxima, seu morbus ipse juxta indolem et gradum tractetur.

3. Ut symptomata molesta pro viribus mitigemus.

4. Ut morbos posthumos praecavere studeamus.

5. Ut reconvalescentiam tandem rite dirigamus.

Quoad primum.

Causa efficiens quum ex praedispositione et potentiis excitantibus congrediatur: illam in meliorem convertere, hasque arcere opus erit. Ut fere ubique, ita hic quoque tanta est indicationis hujusce dignitas, ut, dummodo productum nondum editum fuerit substantiale, sibique ad continuandam vitam suam sufficiens, post impletam illam morbus penitus cesset; qua vicissim neglecta, quidquid tentaveris, parum proficiet. Sic, ubi scrophulosis in causa est, diaeta, balnea, et re-

remedia antiscrophulosa conducent; ubi lues (quam quidem aegre admittere vult cel. *Sachs* *) antisyphilitica; dematur, si hucusque influxit humidus calor, humidumve frigus; interdicatur spirituosorum abusus, Venerisque; ubi blennorrhoea subito disparuit, restituatur; revocentur pariter impetigines retrogressae.

Quoad secundum.

Secundum, quod adduximus, momentum, omnium gravissimum est ac difficillimum. Hanc ob causam, quoniam diversae circa morbi naturam vagantur opiniones, prout aliam sibi quisque effinxit, aliam quoque superstruit therapiam.

Nostram, quam professi sumus, de morbi natura ideam secuti, singuli stadii debitam habere rationem adnitemur. Quorum primum quum diversi gradus irritatione nervi essentiali manifeste designetur: sive acrimonia, ut quidam volunt, subversetur, sive secus, duplex semper medendi methodus exposcetur: modice antiphlogistica, et derivans. Quadrabunt itaque: temperatura frigidiuscula, cibi ex regno vegetabilium potissimum depromti, aut potulenta acidula, aut mera aqua. Hirudines, aut curcurbitulae cruentae, iteratis quidem vicibus, sed parvo semper numero, in regio-

*) W. L. Sach's Handbuch des natürlichen Systems der practischen Medicin. 1. Th. 1. Abth. S. 385.

ne trochanteris majoris et tuberis ossis ischii, aut, si haemorrhoides insimul suspectas habeamus, ad anum erunt adplicandae. Raro, individuis admodum robustis, juvenilibus et plethoricis, modica venaesectio in pede instituenda.

Alvum strictam clismatibus emollientibus, atque eccoproticis amaris, saponaceis, nec non gummatibus ferulaceis, nullatenus autem revera purgantibus evacuemus, ut quae exasperarent potius stimulo vehementi malum.

Naturae actionem in cute occupamus rubefacientibus, a quibus dein ad vesicantia transitus fiat, utpote remedia celebratissima, ita quidem, ut sola nonnunquam ad profligandum morbum suffecisse praedicentur. Haec juxta praecepta Cotunnii longitudinem metiantur digitorum sex, latitudinem digitorum quinque aut quatuor, et in doloris foco reponantur; ut itaque capitulum fibulae obtegatur, et emplastrum in fossam inde popliteam descendat.

Idem ad maleolum externum, aut in plantam pedis transfuga, eodem remedio hinc quoque profligetur. Collectum in vesica fluidum perquam acre, aut tenax et albuminosum inventum esse traditur. Salubrem quoque effectum edidit emplastrum ex pice cum Opio et Camphora, loco dolorifico impositum tam diu, donec post quinque sexve septimanas suapte decideret *). In clinico medico

*) Recepte und Curarten der beſten Ärzte aller Zeiten. Bd. 3. Seite 148.

vidi qnoque in usum vocatum emplastrum mirificum (!!) Barbeti, hunc in modum paratnm:

Rp. Ol. oliv.
unc. sex.
Minii.
Cerussae albae
āā unc. duas.
Coq. c. pauxillo aq. q. s.
adde:
Saponis Debreczinensis
unc. duas.
Camph.
dr. duas.
M. f. emplastrum.

Quin tamen mira inde aut exspectassem, aut vidissem.

Tandem sub finem stadii primi, ubi exigua jam irritatio in adynamiam vergere occipit, maxime heroicum remedium, moxa, restat, cujus laudes ubique promulgatas legere licet. Interno autem usui Calomel commendandum, exsudationes praepediendi, aut, pro parte jam factas ad resorptionem perducendi, et pseudomorphoses qualescunque praevertendi aut resolvendi gratia.

Postquam passio ad dissitas jam nervorum provincias transmigravit, et reproductionis opus labefactari, mentemque turbari in aprico est: praesto sint remedia alterantia, vegetationem leniter erigentia, simulque nervis amica; in quibus singu-

lis exhibendis praesentis jam producti morbosi ratio nunquam non habenda. Refero huc omnium primo balnea praesertim in maris commoti undis; si tepidis utamur, herbis aromaticis virtutem adaugere haud ineptum erit. Adplicatur porro externe linimentorum infrictio, vel unguenti, similis huic:

Rp. Ungt. simpl.
unc. semis.
— Hydrargyri citrini
dr. duas.
Extr. Conii macul.
dr. unam.
M. exactss. in ungt.
S. Früh und Abends bohnengroß einzureiben.

Memoratu dignum quoque remedium singulare est, quod Petrini commendat: ferrum candens lanciforme intra quartum et quintum os metatarsi ad dorsum pedis admotum, unde sat saepe celerem dolorum fugam venisse referunt.
Postremo fonticulns suum quoque locum inveniet.

Interno dicata usui haec fere sunt: Caules Dulcamarae, liquor Ammonii acetici, Antimonialia, pulveres Plumeri, Sulfur, Guajacum, Melissa, Aconitum, cortices Aurantiorum, et ipsa tandem Camphora. Tartarum emeticum porrigere vix auderem, veritus, ne gangliosum systema adhuc magis prosternatur. En formulas quasdam, quibus in clinico medico cum fructu usi sumus:

Rp. Calomel.
gr. tria.
Magisterii Sulfuris
gr. duodecim.
Sach. albi scrup. duos
M. f. p. aeq. div. in p. sex.
D. S. Früh und Abends ein Pulver.
Sp. Extr. Aconiti Nap.
Kermetis miner.
aa gr. duo.
Sacch. alb.
dr. unam.
M. div. in p. sex.
S. Alle drey Stunden ein Pulver.
Rp. Ras. ligni Guajaci
unc. semis.
Coq. in aq. comm.
lb. duabus
ad reman.
lb. unius.
Col. refrig.
adde:
Liq. Ammonii acet.
dr. unam.
Trae cort. Aurant.
dr. duas.
D. S. Alle zwey Stunden zwey Eßlöffel voll.

Quoad tertium.

Curam symptomaticam instituentes dolorem lenire satagemus. Huic quamquam indicationi san-

guinis et seri detractione pro parte jamjam satisfactum est, praestantissima tamen remedia, nullatenus in hocce morbo negligenda, narcotica restant. Seligitur pro re nata Hyosciamus, Digitalis purpurea, aut Opium, quod Cotunnius multum commendat. Spectat huc quoque unctio ex oleo dulci atque calido, quae merito tanti a veteribus habebatur; nec non ex unguentis, quae narcotica admixta gerunt. Cataplasmata emollientia quid possint, tentandum, quidve vaporationes, antiquis solennes.

Quomodo anorexiae succurrendum sit, abunde notum; amaricantibus quippe, aromaticis, modice nutrientibus et plexui solari insuper amicis; in quem finem itidem Guajacum, Absinthium, Quassiam, Lichenem islandicum et parietinum, atque Calamum aromaticum cum cortice Aurantiorum commendamus. Uni tandem remedio commemorando supersedere nequeo, quod quamvis jam Cotunnio solenne, negligitur tamen, aut protinus spernitur: Artis musicae influxum in animum tristitia depressum exhilarandum cur non tentemus? Quidquid enim in rerum natura existit, in aegrorum salutem atque levamen usurpatum convertere medicus sciat. — Quae alia praeterea symptomata molesta accedunt, suas quaeque tractationis regulas habent.

Quoad quintum.

Quominus morbi posthumi subsequantur, praecavere, non semper in medici potestate posi-

tum; nunc propter relationes aegri somaticas atque externas, nunc propter vehementiam morbi ipsius pravamve indolem; alias etiam, quoniam sero medicina paratur. Satis est autem in hunc scopum priores indicationes omnimode implevisse.

Quoad quintum.

Superior si quando ars multo labore discessit, aut saltem discessisse videtur, illud adnitendum est, ut perfectae sanitatis reditus contingat. Per quam enim facile specie decipimur, penitusque devictum gloriamur hostem, qui mox iterum insidias misero struit. Quod autem postulavimus, nonnisi lente perfici posse, non erit, qui dubitet. Minimis apparenter viribus hoc optime praestabitur: Diaeta congrua, et evitatione cujuscunque influxus nocivi. Cotunnius decoctum specierum lignorum vult bibi; *Sachs* amaro-aromatica proponit.

Literatura.

Aretaeus de caûs. et sign. morb. acut. et chron. lib. II. cap. XII.

Celsus de medicina lib. II. cap. VIII.

Caelius Aurelianus de morbis acutis et chronicis lib. V. cap. I.

Cotunnius, de ischiade nervosa. Neapoli 1783.

De Haen, de morbo coxagra; rat. med. tom. IV.

D. G. A. Richter's specielle Therapie. Bd. 2. S. 65.

D. Berend's Handbuch der practischen Arzneiwissenschaft. Bd. 4. S. 213.

W. L. Sach's Handbuch des natürlichen Systems der practischen Medicin. Bd. 1. Abth. 1. §. 348 bis 371.

Rust's theoretisch-practisches-Handbuch der Chirurgie. Bd. 2. Art. Arthrocace.

F. L. Meißner's Encyklopädie der medicinischen Wissenschaften. Bd. 9. Art. Neuralgien.

Dr. R. G. Schmalz Diagnostik. S. 124 und 125.

Theses defendendae.

1. Cura symptomatica semper magni, interdum maximi facienda.
2. Differt ischias nervosa *Cotunnii* a coxarthrocace.
3. Aegri confidentia in medicum maximi est momenti.
4. Funiculus umbilicalis post dissectionem ligandus.
5. Somnambulismo capti vitam agunt humiliorem potius, quam altiorem.
6. Nec carcinoma nec fungus medullaris extirpationem oculi interdicit.
7. Medicus vere magnus esse nequit, chirurgiae ignarus.
8. In syphilide tractanda methodus justa Mercurium porrigendi plus valet, quam Mercurius ipse.
9. Gracile corpus infirmum, obesum hebes est.
   Celsus lib. II. c. 1.
10. Symptomatice, morbosa humorum specifica aut vulgaris crasis ex cute vix non semper efflorescit.
    Tölténvi Princ. path. T. I. §. 1181.
11. Inter remedia diaphoretica aqua frigida excellit.
12. Crinium cultura magnum exercere valet in sanitatem influxum.